

Johann Christoph Otto Wolfgang-Philippus Leiken

De Deo Verbo Disputatio Secumda

Rostochii: Kilius, [ca. 1660]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740033131>

Druck Freier  Zugang



RU. theol 1660!

Johann Christoph Otto / c
Vert.: Wolfgang Philipp Leiken

26 32
De
DEO VERBO Job: 1.

DISPUTATIO SECUNDA.

Quam

Prima et tertia deficiunt.
nisi forte tertia et
nunciet infra 23

ANNUENTE ALTISSIMO
Auctoritate VENERANDÆ Facultatis
Theologicæ

Sub PRÆSIDIO

VIRI Admodum Reverendi, Clarissimi &
Excellentissimi


DN. JOHANNIS CHRISTOPHORI
OTTONIS, SS. Theol. Doctoris ac Professoris
Celeberrimi.

Fautoris ac Præceptoris sui

æternum devenerandi,
Publico eruditorum examini

Die 3. Maji in Auditorio Maximo
submittet

WOLFGANG-PHILIPPUS Leifen/
Chilonio-Holsatus.



1008
ROSTOCHII,

Typis Heredum NICOLAI KILII, Aca dTypogr.

DEO VERBO

DISPUTATIO

IN NIEMEN
Auctoritate V. N. R. AND. FACEL
Theologicae

Dr. JOHANNIS CHRIS. OPHORI
OTTO, 28. Theol. Doctoris ac Professoris
Celserrimi

Facultatis Piscicorum in
Rostochii
Die 2. Martii MDCCLXXII

ROSTOCHII
MDCCLXXII

ROSTOCHII
MDCCLXXII



DE DEO VERBO

Disp. II.



Ux constans intemerataq; sit Ec-
clesiæ Catholicæ, verbo revelato innixæ, de DEO
VERBO, qua verbum dicitur, confessio; quibus
Scholastici Doctores, ultra revelationem progressi,
ratiociniis venerandum de DEO Filio religionis my-
sterium, imprimis Joh. I. i. expressum, corruperint;
hæretici planè e medio sustulerint; gentiles vero ultra sortem & con-
ditionem suam in hoc ipso sapientes (per imprudentiam) habiti sint;
Primà fuit de DEO VERBO disputatione Theologicà adumbra-
tum, quam modestissimis B. Athanasii, in Orat. contra Arrium III.
Tom. I. descriptis verbis adhuc obfirmamus. *Non querendum est*
(inquit, in mysterio de DEO VERBO) cur non tale sit DEI verbum,
quale nostrum est, cum DEUS nequaquam talis sit, quales nos sumus.
Imo indecorum est querere, quomodo ex DEO verbum sit, aut quomodo sit
DEI splendor, aut quomodo gignat DEUS, aut quis sit modus generati-
onis DEI. Insanierit enim qui talia auderet, quoniam rem ineffabilem
& propriam divine nature, & duntaxat ipsi, & Filio suo cognitam, verbis
interpretari conetur &c. Non tamen ob id præter veritatem aliquid cogi-
tandum est: neq; si te in questione non explices, dissidendum est sacris scri-
pturis, quoniam melius est, hæsitabundos, ignoratâ causâ, tacere, & cre-
dere, quam ideo non credere, quia hæsitant: eâ potissimum de causâ, quod
qui hesitat potest aliquo modo veniam mereri, quod quamvis quæsierit, intra
quietem tamen maneat. Qui autem, eo quod in explicandâ causâ hæsitet,
singit animo quæ nequaquam deceat, atq; ita de DEO indigna eloquitur, cer-
tam reportat sue audaciæ punitionem &c. Nos à generali de DEO

D

157

λόγῳ doctrinā, ad specialem, secundum verba divīna à Johanne. Evangelii C. I. I. consignata, considerationem descendentes, singulos singularim aphorismos Apostolicos, hac vero vice priores duos duntaxat, è quorum verbis singulis, singuli mysteriorum quasi mones dependent, in nomine Altissimi expendemus.

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM,

§. I.

ANtequam de verborum, & inde enatæ propositionis sensu genuino, quicquam affirmemus, scopus Apostoli, ad quem omnis instituta doctrina collimat, in lucem producendus & asserendus est. Expediit eum Evangelista c. XX. v. ult. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Jesus est Christus FILIUS ILLE DEI.* Cujus salvificæ fidei hostes notat 1. Joh. IV. 1. 2. 3. Quicumq; Spiritus confitetur Jesum Christum in carnem venisse, (h. e. qui confitetur Christum verum DEVM à Patre antè secula genitum, & in plenitudine temporis, Filium hunc DEI hominem factum) ex DEO est. Qui vero id non confitetur, is est Spiritus Antichristiejus, qui suam jam tum audaciam, tempore Johannis Evangelistæ, exerebat per Cerinthum cujus blasphemiam balnei ruina terminavit Iren. L. III. 3. Et Ebionem de quo eundem vitæ finem narrat Epiphanius, juratos divinitatis Christi hostes; Quare D. D. Danhavverus Dram. f. 522. illud NON apud Irenæ L. I. 26. (*in hac sententiâ, ea ergo quæ sunt erga Dominum, NON similiter ut Cerinthus & Carpocrates opinantur*) merito, ut ab alienâ manu adjectum notat. Hunc verborum Evangelicorum scopum veneranda agnoscit antiquitas, Polycarpus Episcopus Smyrnenfis, ipsius Johannis quondam discipulus, in responsionibus quas vicinis scripsit Ecclesiis citante fragmentum hoc Polycarpi, Francisco Feverdenticio ad L. III. c. 3. Irenæi, quod se reperisse ait, in catenâ quadam quatuor Evangelistarum vetustissimâ. *Johannes (inquit) ad Ephesum constitutus, qui legem tanquam ex gentibus, ignorabant, à causâ nostræ redemptionis Evangelii sumpsit exordium, quæ causa ex eo apparet, quod Filium suum*

suum Deus pro nostrâ salute voluit incarnari. Irenæus, Pater antiquis-
 simus, qui Polycarpum Johannis discipulum, abs se in primâ ætate
 visum esse memorat L. III. c. 3. de scopo Evangelii Johannis differens,
 ita scribit L. III. adversus hæreses c. II. Hanc fidem annuncians Johan-
 nes Domini discipulus, volens per Evangelii annunciationem auferre eum,
 qui à Cerinbo inseminatus erat hominibus, errorem, & multo prius ab eis
 qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulsio ejus, quæ falso cognominatur sci-
 entia, ut confunderet eos, & syderet, quoniam unus Deus, qui omnia fe-
 cit per verbum suum, & non quemadmodum illi dicunt, alterum quidem
 fabricatorem, alium autem Patrem Domini, & alium quidem fabricatoris
 Filium, alterum vero de superioribus, Christum &c. Omnia igitur talia
 circumscribere volens discipulus Domini, & regulam veritatis constituere
 in Ecclesiâ, quia est unus DEUS omnipotens, qui per Verbum suum omnia
 fecit, & visibilia & invisibilia: significans quoque quoniam per verbum, per
 quod Deus perfecit conditionem, in hoc & salutem his, qui in conditione
 sunt, præstitit hominibus; sic inchoavit in eâ quæ est secundum Evangelium,
 doctrinâ: In principio erat Verbum &c. Eusebius L. III. hist. Eccles. c.
 18. commemorat Johannem, ea quæ in reliquis tribus Evangelii de-
 esse videbantur, supplere voluisse: Non ergo (inquit) immerito ser-
 vatoris nostri stirpis secundum carnem genealogiam, utpote à Matthæo &
 Lucâ accuratè descriptam, silentio prætermisit, & ab ejus divinitate cæpit
 exordium, perinde ac si illa fuisset sibi tanquam multo acutius eam intuenti
 à Spiritu S. ad scribendum reservata. Eadem docet Hieron. in prologo
 Matthæi. Epiphanius hæresi L. I. Theophylactus in Evang. Joh.
 prolog.

§. II. Periculose de confirmatissimo hoc Johanneo scopo dubi-
 tat Maldonatus, quando, Alii (inquit) non necessitate orta jam hære-
 seos, sed divinatione, aut metu aliquando orituræ, qualis postea fuit Pau-
 li Samosatani, ut haberent Catholici quo eam, cum nasceretur, refutarent.
 Pessimè vero Sociniani, interque eos calidissimè Enjedinus in Explic.
 Loc. p. 133. perimentes quantum in ipsis, Christi divinitatem, hunc
 scopum planè negant; Objicientes silentium Johanneum in expri-
 mendo hæreticorum nomine, & quod nunquam clare testetur, Chri-
 stum esse simul naturâ DEUM & hominem. Prius enim dilutissimâ
 consequentiâ à silentio nominis, ad negandam doctrinam illis opposi-
 tam, procedit; quomodo nec symbola, Apostolicum, Nicenum,

Athanasianum &c. hæreticorum, secum ferunt nomina, quibus tamen opposita esse certissimum est. Præterea Evangelium hoc non particularis sed Catholicæ Ecclesiæ, non contra Ebionem & Cerinthum, duntaxat, sed quosvis, constantissima esse debebat fidei regula; proinde non solis duobus expressis nominibus, sed omnibus Antilogis opponenda. Posterius indubiæ falsitatis arguit ipse Spiritus S. Joh. V. 17. 18. 19. 21. 26. c. VI 31. 39. 46. c. VIII. 58. c. X. 30. c. XI. 25. 26. c. XIV. 1. 6. 9. 10. II. c. XV. 26. c. XVII. 3. 5. 10.

§. III. Hactenus de scopo Johanneo, pro quo obtinendo figit oraculum primum. In principio erat VERBUM. Subjectum est λόγος ordine contextus postpositum, at ordine sensus, prædicato, existentie ante creaturas, subjiciendum. Quod patet non præcisè quidem ex illà Riberae in Comm. ad Hebr. c. I. & Sanctii in Zach. c. III. regulà (ex quâ Johannes Langus Calvinista, propositionis sacramentalis sensum corrumpere voluit, destruendis regulæ ejus universalitatem Bellarmino & Sandæo) *cum dubium est, an aliquod nomen vim habeat subjecti, an prædicati, id facile apud Græcos ex articulo cognosci potest. Nam illud nomen cui articulus præponitur, subjectum est.* Universalitatem enim regulæ perimunt Instantiæ Act. XIX. 28. 2. Cor. I. 21. c. V. 5. &c. Præmittendum tamen esse in ἐξήγησις svader ratio ἔην, quod infert existentiam, quasi formam λόγον denominantem, adeoque prædicabilem. De hoc, præter ea quæ generaliter Disp. I. discussa sunt. Notamus hic (1) rationem obquam Filius DEI λόγος appellatur, veram quidem esse illam, quod ut Propheta noster, salutarem, essentiam & voluntatem DEI revelavit Joh. I. 18. Non tamen illam vel solam, ut Sociniani volunt; vel primariam, quod quidam ex Pontificiis asserunt. Didacus Ruizius à Montojà Disp. LV. de Trin. *Nostri (inquit) temporis aliqui sapientissimi expositores Joh. I. probare contendunt, potissimam rationem appellationis Verbi esse, quoniam est divinæ voluntatis interpres, eò quod multis in locis traditur, hoc munus exercuisse Christum Dominum.* Verum enim vero c. I. v. 1. 2. 3. introducitur λόγος non sub respectu ultimato mediatoris, sed qualis tum in arcanâ æternitate, tum ex illà, quasi per creaturarum productionem progrediens, agnosci debet. Erat λόγος, antequam ad genus humanum mediatorio sine progrediretur, & mansit Verus DEVS λόγος etiam tum, cum caro factus

factus est. Imo λόγος erat ante decreta divina, de progressionibus
λόγος ad genus humanum. In λόγος decreta divina facta sunt. Si
munus oratorium præcipua causa esset, ob quam diceretur λόγος,
& ratione humanitatis solius, & improprie talis diceretur, ponendo
verbum pro verbi potente. Atqui Filium DEI verbum esse propri-
issime, inculcat orthodoxia; & Jacobus Gvaltier Chron. sect. IV. hæ-
resin Metaphoristarum facit eorum, qui verbum, improprie tribui
volunt Filio DEI. Notamus II. periculosissime falli Franciscum Val-
lesium Covarrubianum in sacra Philosophia c. II. dum λόγος hunc Ideas
divinas esse defendit. *Statuendum (inquit) Deum ab æterno habere apud
se notitiam rerum omnium creandarum, atq; fecisse tales quales agnoscebat,
illamq; notitiam esse exemplar, per quod facta sunt omnia. Atq; cum illa
met notitia sit ex substantia Dei, divinitus enarrata est mundi creatio in Evan-
gelio Johannis, ducta scil. ab exemplari causa, & æternis Ideis: In princi-
pio, h. e. DEO erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat
Verbum. Omnia per ipsum facta sunt. Præter hoc verbum nullæ sunt Ideæ,
neq; causæ exemplares mundi, neq; in totâ hac narratione mihi videtur Mo-
ses, exemplaris causæ rei ullius, meminisse, præterquam hominis, de quo
inquit, ad imaginem in DEI creavit illum. Proprie quidem quia ad illud
exemplar, quod est Verbum DEI. Id vero est Imago substantiæ Patris. Hoc
ipsum exemplar aliarum rerum omnium, siquidem omnia per ipsum facta
sunt. In quâ, à fidei sinceritate discedente interpretatione Vallesii,
non quidem ipsam rationem Idealem, sive intellectionem exempla-
rem, & quasi practicam, quam in DEO creatore intelligente ponit,
damnamus. At dum verbum nostrum Johanneum per Idealem solam
cognitionem explicat, in expiabilem ipsi merito errorem inputamus.
Idealis enim ratio mentis divinæ, est ipsa DEI essentia omnibus tribus
personis ex æquo communis. At Verbum Johanneum qua verbum,
nullo modo est essentia DEI, quatenus illa est Pater & Spiritus Sanctus,
sed personaliter ab his distinctum. Hinc apud DEVM ab æterno fu-
isse dicitur, ut subsistens Verbum; Ideæ vero, non tam apud Deum,
quam in DEO intelligenter esse, dici possunt. Deinde Verbum
Johanneum in creatione proponitur, ut immediatum principale agens,
cum Ideæ non tam agere, quam Deus secundum illas res omnes pro-
ducere bene statuat, Et tandem Verbum hoc immediatè Carosa-*

factum est, non autem Pater vel Spiritus Sanctus, quibus tamen
 æque atq; Filio Idealis, producibilium ratio omnino assignari debet.
 Quare cum Athan. L. de Ἐκθεσι πνεύματος, confitemur, & credimus in
 unigenitum Patris Verbum, Sapientiam, Filium ex Patre ἀνάρχως καὶ
 ἀδιόως genitum. Verbum non elocutione pronunciatum, aut cogitatione
 in animo conceptum, non derivatum à perfecto, neq; item segmentum, aut
 partem impatientis illius naturæ, neq; quod inde productum sit, aut emana-
 verit. Sed Filium perfectum, viventem, vi agendi præditum, veram
 Imaginem Patris, honore parem & gloriâ æqualem, hæc enim est, inquit,
 voluntas Patris, ut quemadmodum venerantur Patrem, ita quoq; veneren-
 tur & Filium, Deum verum ex Deo vero, omnipotentem ex omnipotente, to-
 tum ex toto, similem Patri, genitum ineffabiliter & incomprehen-
 sibiliter

§. IV. Notamus III. quomodo Antilogi divinitatis Messæ oppu-
 gnatores, infeliciter indefessi, subjectum hoc λόγον (variato per
 successum temporis controversiæ statu) interpretando torserint & cor-
 rupterint. Prima opinio fuit Pauli è Samosatibus oriundi, quem postea
 sequutus est Servetus, statuentes, Christum ante Nativitatem è Vir-
 gine nihil fuisse, nisi Ideam in mente DEI seu cognitionem & decre-
 tum Dei, de hoc homine certo tempore creando, sine peccato, & o-
 mini gratiâ & veritate, atq; adeo suæ Deitatis virtute implendo, &
 supra omnes creaturas reliquas eveheado, & Servatore mundi consti-
 tuendo, ut sicuti λόγος hominis sive internus, sive externus, non est
 aliquod subsistens, sic nec λόγος Dei Johanneus, statuatur distincta
 persona, sed mera futuri Christi in mente Patris, Idea. Qui puti-
 dus error, ex Apostolica & summæ divinitatis assertionem; Patris &
 Filii rationem; iisque quibus Vallesii error refutatus fuit argumentis, di-
 vinitus suffocatur. Altera fuit Arrii qui λόγον rem quidem subsisten-
 tem, viventem, intelligentem, volentem agnovit. At non Fi-
 lium propriè de substantiâ Patris ab æterno genitum; Sed Spiritum
 à Deo, ipsius ore seu jussu, ante omnia factum: per quem primo cre-
 atum, cætera omnia deinceps condita sint. Lapsus, ut putatur, in
 voce ἐκτιστος Prov. VIII. 22. cum τὸ πνεῦμα non omnino conveniente. Sed
 & hunc prædicata Johannea, æternitatis, divinitatis, & omnipo-
 tentiæ suo (cum Deo) ordine asserenda, refutant. Tertia fuit Socini
 & omnium

& omnium ejus complicum, blasphemia: Christum non ob aliquam naturam seu substantiam, sed muneris tantum causâ, quo ut ipse Dei Filius functus est, dum Evangelium, Patris sui verbum exponeret; ac proinde tantummodo *μεταφορικῶς & μετανυμικῶς* appellatum fuisse *λόγον*: Metonymiam autem hanc esse, quod Christus, (nudus homo) autor sit verbi illius (Evangelii) quod per *ἀντονομασίαν*, hac simplici appellatione gaudere possit, quippe, quod omnibus aliis utilius & præstantius sit. Hanc vero blasphemiam, quâ detestabiliorem nec ipse Satanas excogitare posset, a pertis assertionibus, omnis *λογολογία* sacra Johannis divinis proprietatibus (suo loco vindicandis) hunc *λόγον* exornans, conficit. Cui divinæ Veritati Infensus Socinus duo imprimis offundere satagit (α) Lucam Act. I. v. 1. promittere se consignaturum omnia, quæ Jesus cæperit dicere & facere: & c. XIII. 23. Filium eductum è semine Davidis. Item Hebr. I. v. 1. Patrem in V. T. per Prophetas in Novo per Filium locutum esse. Verum quia locus primus de iis quæ, Christus non simpliciter, sed in ministerio publico cæpit: Secundus de Christo secundum humanam naturam, ultimus de *λόγω*, ut incarnato, agit, inde ad negandam divinitatem, antè susceptum ministerium, ante incarnationem, Imò tempus omne existentem, pariter cum Patre operantem Joh. V. 17. 19. & ad Prophetas loquentem Esa. VI. Joh. XII. 41. nulla valet consequentia. (β) Quo sensu Servator Lux mundi, via, veritas, vitis, panis, agnus, resurrectio dicitur, sic & Verbum: Atqui his ferè omnibus vocibus, de Christo Johannes præter morem aliorum metaphoricè utitur. E. Resp. Consequentiam Majoris funiculum esse ex arenâ. Non omnia nomina Christi, quorum insignem catalogum Wigandus, Judex, Chemnitius texunt, ejusdem sunt generis, proprietatis, aut improprietatis. Sed alia personam, alia officium concernunt, alia de Christo propriè, ut Magister, Jesus, veritas, &c. alia analogicè, ut Sacerdos, Advocatus, Pastor; alia metaleptice, ut justificatio, resurrectio; alia metaphoricè, ut Via, Ostium, &c. verificantur.

§. V. Hactenus de subjecto Theologiæ Johanneæ *λόγω*: Ejus deinceps verè divina prædicata, & primum quidem æternitatem enunciat, in vocibus, *ἦν ἐν ἀρχῇ*, temporis scilicet, in quo condendo *λόγος*
 hic

hic architectus existit; omnibus rebus factis prior. DE voce $\eta\upsilon$ N.
(1.) eam hic non copulative, quasi Filius ipsum sit principium, sed
 $\epsilon\pi\alpha\rho\kappa\tau\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$ sumi, live in significato, ut loquuntur, adjecti secundi
h. m. $\lambda\omicron\gamma\omicron$ erat, scilicet existens, cui syncategorematica oppido sub-
jungitur determinatio: In principio. Sic ut non ratio principii im-
mediate, sed existentia in principio omnis à Deo dependentis, de $\lambda\omicron\gamma\omicron$
prædicetur. N. (2.) Durationem existentiae ejus, quod jam tum in
principio, hoc est ab aeterno, imò essentialiter aeternum erat, à mente
humanà nec concipi, multo minus verbis rem exhaurientibus expri-
mi posse. Fluit tempus, in quo existens homo, non nisi temporali
intelligendi modo conformari novit. In Deo nil prius aut posterius,
nil præteritum aut futurum, sed indivisibile quasi $\nu\upsilon\nu$, quod sine mu-
tatione est, fuit, eritq;. Huic tamen, humanæ menti insinuando,
utitur Apostolus voce, rem ipsam pro modo intelligendi nostro, ex-
quisitissimè adumbrante, cum dicit: In principio hoc verbum ERAT.
Si dixisset, fuit, potuisset intelligi tum primum cæpisse esse Filium
DEI, $\lambda\omicron\gamma\omicron$, cum primum res creari cæperunt, amplius autem non
esse. At cum dicit, Erat, non potest aliter intelligi, quam, etiam
priusquam mundus cæpisset fieri, $\tau\omicron\nu$ $\lambda\omicron\gamma\omicron$ fuisse. Veluti si dicamus
de aliquo (quæ similitudo Zanchii est L. de tribus Eloh. p. 1. f. 353.)
cum cæpisset loqui, apertum fuit ejus os, significabis, tum primum
apertum esse illius os, cum cæpit loqui. At si dicas, cum cæpit lo-
qui, apertum erat ejus os, aperte significabis, etiam antequam cæ-
pisset loqui, apertum ejus fuisse os. Hinc Apostolus in describendâ
divinitate verâ $\lambda\omicron\gamma\omicron$, arcanam aeternitatem subinferente, quatuor
constanter vicibus voce Erat, utitur, ut in solidum & fuisse, nec
tamen desuisse indicet. Cum verò actum creationis tanquam trans-
euntem, pro astruendâ eadem divinitate tangit, voce præteritum,
notante utitur, ut caute ratio essendi $\tau\epsilon$ $\lambda\omicron\gamma\omicron$ infinita, & creaturarum
(esse incipientum) discernatur. Basilius hom. XVI. Tom. I. Orem, in-
quit, mirabilem, quomodo cunctæ inter se voces congruè sunt conjunctæ?
Erat idem valet ac vox hæc: In principio. Ubi blasphemus? ubi lingua
Christo adversaria, dicens: Erat aliquando quando non erat. Et paulò
superius. Si hanc votem rectè tenueris, nihil à viris contentiosis adversi pa-
sieris

ueris. Si enim ille dixerit: Si genitus est non erat, tu dic; In principio erat. Sed, inquit, priusquam genitus esset, quomodo Erat. Tu ne dimittas illud, Erat: non item relinquo in principio. Et Ambrosius in Tract. de laude Trin. Ergo, inquit, quia erat non cepit, & quia apud Deum erat non cepit, & quia Deus erat non cepit, & quia hoc in principio apud DEUM, non cepit, quia ita DEUS ex DEO natus est ut nesciat capisse.

§. VI. Hæc duratio ∞ , per quem creaturæ existere cæperunt, porro determinatur ad principium, temporis scilicet, quod illa anticipabat. Luber in antecessum, variam principiorum rationem, verbis, ante aliquoties citati Basilii M. oppugnantorum divinitatis Christi, hostis acerrimi, Tom. 1. hom. VI. extricare. *Initium* (inquit) *vix bonæ dixit proverbium: sed vix quidem principium, primus motus, unde iter incipimus, cui quod est, retrò inveniri potest. Et initium sapientiæ timor Domini, sed de hoc principio est aliquid antiquius, videlicet animæ constitutio, nondum factæ sapientis, nec Domini timorem adeptæ. Principia dicuntur civiles quoque potentatus, dignitate præcellentes, sed ista principia aliquorum sunt principia: & quodlibet illorum aliquo refertur Principium enim lineæ, punctum; principium superficies, lineæ; & principium corporis, superficies; & orationis principia, Elementa. Illud autem de quo dicimus principium, non tale est, nulli alligatur, nulli servit, cum nullo consideratur, sed liberum est sine Domino: solutâ omni ad alterum conjunctione, cogitatione indeprehensibile, ultra quod aliud invenire non est. Si enim phantasiâ mentis contenderis principium præterire, inveniet te præteriens, & tuæ omnino decipiet cogitationes. Dimitte tuam mentem, quantum ipsa cupit percurrere, & ad superiora conscendere. Deinde ipsam reperies infinitum errantem, ac per multa vacua spaciantem. Rursus vero ad sui ipsius unitatem redeuntem, quoniam se ipsâ antiquius principium reperire nequeat; idcirco semper principium omni cognito exterius ac superius invenitur. Hactenus Basilii Principii nostri incomparabilem eminentiam (quatenus illud ex ∞ existere in principio, ut æterna summitas colligitur) explicat. Quia vero, ∞ in principio, etiam orthodoxi duas adferunt expositiones, melior feligenda est. Est principium aliud ipsius Rei, quæ est principium, ipse Deus & quidem Pater, sicuti pia credidit antiquitas, Patrem esse principium sine principio,*

E

Filium

Filium vero principium à principio. Aliud durationis quæ tempus dicitur. Primam significationem exosculatur Origines, de quo proverbium, ipsum eâ parte, quâ probatur, neminem post Apostolos habuisse parem; qua reprehenditur, omnibus errasse deformius. Et ut putant Cyrillus; hunc sensum statuentes: in Patre erat Filius. Dionysius, Rickelius, dictus Doctor exstaticus, adductis, ut ipse putat duobus competentibus in hanc vocem sensibus, uno de principio temporis, secundo de absolutâ æternitate, subjungit tertium; *Et in principio*, inquit, *DEO patre, erat verbum, quoniam sic procedit à Patre per generationem, & personalem distinctionem, ut tamen in ipso æternaliter perseveret, per substantialem identitatem.* Verum Interpretatio hæc, proprium Spiritus Sancti scopum, non aptè tangit. Tum quia existentia verbi, & apud & in Patre oppido subjungitur, ut distinctum ab æternitate Filii prædicatum, non autem tautologicè, quod ex sententiâ Originis sequitur, repetitur. Tum, quia sic non æq; clarè ac in altero sensu proponitur Filii æternitas, cum omnes creaturæ suo modo, sint in Patre. Tum quia v. 2. hoc modo summa oriretur confusio, si per principium Pater intelligeretur, nempe; Hoc erat in Patre apud Deum Patrem. Remotâ ergo hac sententiâ, superest altera, qua per principium, principium temporis intelligitur h. m. cum in principio, per creationem posito, omnia ex nihilo fierent, & jam tum erat cunctorum apud DEUM Patrem architectus Prov. VIII. 22. 23. seqq. Quomodo per tã principium, non quidem æternitatem, intelligimus, ex contextu tamen subjecti cum prædicato maxime colligimus, hoc pacto: Qui in principio rerum creaturam omnium, ne ullâ quidem exceptâ, jam tum fuit, is ipse non esse creatus, sed existit ante creationem, & est æternus. Filius DEI est is qui in principio &c. E. Major, ex inmeditatione creati, & increati, dependentis & independentis, finiti & infiniti, (quæ ratio increati, independentis, infiniti in solidum Filio DEI assignatur) suâ immotâ veritate constat; Et ipse Spiritus DEI testis est, id quod fuit ante tempora secularia ante jacta mundi fundamenta, ante orbem conditum, antequam mundus factus esset, æternum esse Psalm. XC. 2, 3, Prov. IIX. 2:3. seq; Mich. V. 2. Joh. XVII. 5, Eph. I. 4. 2. Tim. I. 9. Item id quod ab initio existit, æternum esse Ps. LV. 20. Ps. LXXIIX. 2. conf Matth. XIII. v. 35. EL XLIII. 13, Matth. XXV. 34. 1. Joh. II. 13. Apoc. XIII. 8. Hilar. L. II. de

Trin.

Trin. Quid est (inquit) istud in principio erat. Transseunt tempora, transcenduntur secula, tolluntur ætates: pone aliquod, quod voles, tua opinione principium, non tenes tempore, Erat enim &c. Minoris veritas ex clarâ propriorum verborum Apostolicorum luce affulget. Proprietas verborum (1.) ex absoluto, τὸ ἐν ἀρχῇ positu, sine ullâ restrictione, vel determinatione additâ, unde non certum aliquod, sed omnis temporis principium antè quod λόγος existisse asseritur, absolute infertur. Nec malè annotat. Hugo Grotius in annot. p. 848. τὸ ἐν ἀρχῇ desumptum ex Græco Geneseos, sicut vicissim Syrus ex Ebræo hic posuit תְּחִלָּתָא. Noto autem scripturæ loco, verbum inde sumptum, ex sententiâ loci illius intelligendum est. Mosis loci sententiâ hæc est: Cum primum creavit Deus cælum & terram, terra erat &c. Tum vero Ebræis mos est cæli & terræ nomine universum comprehendere. Ergo ἐν ἀρχῇ est, cum primum rerum universitas cæpit creari. Chysof. hom. III. in Joh. Cum de unigenito dicitur, quod in principio erat antè omnia intelligibilia; & antè secula fuisse intelligas, necesse est. August. L. VI. de Trin. c. II. In principio sic dictum est acsi diceretur ante omnia. (2.) propriè & absolute verba hæc accipienda sunt, quia in principio λόγος fuisse dicitur ut verus Deus, cujus non est, in tempore demum oriri, sed infinitâ essentiâ sine tempore existere. Imo ut Creator omnium omninò quæ essentiâ participatam habent. Ita enim in principio erat, ut sine ipso nil factum sit, quod factum est, v. 3.

§. VII. Hactenus verborum Johannis: In principio erat (Verbum) gemina, sepositis peregrinis, confirmata fuit sententia: superest ut Antilogorum tenebras, hæresibus turpissimis confirmatas, quas sacrosanctæ & perspicuæ huic Veritatis cælestis luci offundere satagunt, tangamus & dispellamus. Quomodo Samoſatenus & Arius hæc verba exposuerint, ex illis quæ §. IV. superius adducta sunt, facile intelligitur. Ille scilicet λόγος in principio fuisse concessit; At veluti Ideam conceptum, decretum de nudo homine Christo, olim creando, & divino officio exornando. Hic λόγος verè subsistentem, ante principium temporis, agnovit, at ab æterno creatum asseruit. Quas sententias superius expositas, & dudum in Ecclesia suffocatas dimittimus, modernos Socinianos, interq; ipsos præ cæteris versipellem Enjedinum,

in lucem veritatis divinæ, protrahatur. Intelligit autem ille nomine principii, non principium mundi conditi, sed renovati. Conditum fuisse à Deo, reparatum asserit à Christo. Sicut igitur Moyses (est sententia Socini in C. I. Joh.) antiqui hujus mundi creationem descripturus, usus est hac notâ ordinis, *In principio*, hoc est imprimis, & ante omnia, creavit &c. Ita etiam Johannem, cum de spiritali mundo per Christum creato, h. e. renovato, scripturus esset; usum esse eadem illâ ordinis notâ: *In principio*. Ut intelligamus *ἀρχὴν* hunc fuisse, non quidem ab omni æternitate, sed tantum ante res creatas novi Mundi. Smalz in refut. Smid. c. IV. hæc verba ita *ὁ Θεὸς ὁ Παῦλος*: *Jesus Christus homo, tum cum susciperet munus suum, erat. Ipse, improprie dictus Sermo Deus, erat, quia divinum munus gerebat. &c.* Expositio hæc §. præcedenti refutata, argumenta à Socino pro ipsâ adducta impresentiarum conficere jubet. Objiciunt autem primo in genere; duo (1.) Verborum horum Apostolicorum perplexâ obscuritatem ob quam, ex sententiâ Socinianâ, textus hic ineptus esse putatur probando tanto mysterio. Eujed in expl. loc. p. 136. *Ego peculiarem, inquit, phrasin, & diversam à reliquis Evangelistis, habere Johannem non diffiteor. Quæ an magnificentia & sublimitas dicenda sit judicent alii. Certè si obscuritas concisa, abrupta, minime sibi coherens, (blasphemum os!) & ex allegoriis constans oratio, sublimitas dicenda est, Fateor Johannem esse sublimem. Nam vix ullam Christi concionem, ab eo relatum invenies quæ tota non sit allegorica & intellectu difficillima & p. 137. Si aliunde constaret, hæc ipsorum phantasmata (sic salutiferam de divinitate Christi doctrinam blasphemat) esse vera, minori cum reprehensione possent Johannis obscurissima verba, ad sua confirmanda trahere, sed cum nihil de iis expressè usquam in toto codice sacro legatur, non prudenter neque pudenter faciunt, quod tantum fidei articulum quem in ipso Christianitatis apice adorant, ex tenuissimis conjecturis & locis obscurissimis exstruere conantur. &c.* Hactenus Eujedini blasphemæ circa quas incidit quod Iren. L III. c. III. *Hæretici, cum ex scripturis arguuntur, in accusationem scripturarum convertuntur. quod variè sint dicta & quod non possit ex iis veritas inveniri.* Quid clarius & plenius, pro ratione tanti mysterii vel concipi potest, quam: *in principio erat verbum, supposito quod hoc notet Filium DEI carnem factum servatorem nostrum Joh. I. 14 ? Quidam*
pertius

apertius quam in principio fuisse *Azyro* illum, qui DEUS est, à quo
condita sunt omnia quæ facta sunt? Quid planius quam illum, qui in
principio omnium apud DEUM erat increatus, ipsum DEUM esse?
Non profundior hic, aut intricatior est difficultas, quam in aliis o-
mnibus scripturis, mysteria cæli proponentibus. Quæ tam perspi-
cua divinitus tradita credimus, ut omnes, verbum scriptum legiti-
mis mediis adeuntes, sufficientem inde fidei salutisq; informationem
habere possint. Psal. CXIX. 105. 2. Pet. I. 19. Mart. XI. 25. Quod si scri-
pturæ in se salutaris, apertæ, lucidæ, hominibus obscuræ fiunt; im-
putent infelicitatem, utinam facis agnitam! densissimis suis præjudi-
ciis, veritatis lumen non admittentibus; rationis fastui sub jugum E-
vangeliæ concedere nescio; legitimorum hermenevticorum medio-
rum arroganti contemptui &c. Objic. in genere (II.) Varias à variis
institutas, verborum horum Interpretationes. Dum tò in principio
Hieronymus, Orosius, Calvinus, explicent, ab æterno. Cyril-
lus & Vallesius in Patre tò *ny* Calvinus perpetuum statum inferre asse-
rat, Beza neget. Alii de Johanne Baptista exponant Matth. XVII. 11.
Resp. Si interpretationum varietas, indivisibilem sensus divini verita-
tem multiplicem reddere, vel probandi efficaciam tollere posset, quis
tandem textus saluti hominis competens & utilis maneret? Una est &
simplex veritatis ratio, simplex & una Spiritus S. per verba sacra fulgens
Intentio, quæ non tollitur, exportatur, perit, licet vel Interpretati-
onis adferatur falsitas, vel ex animo legentis tollatur aut pereat ve-
ritas; Quid clarius est C.I. Gen. solus tamen Johannes Picus Miran-
dulus, super caput illud, Heptaplum confecit, in quo septem no-
vas explicationes doctrinæ Mosis, de operibus sex dierum, à nullo
priorum scriptorum tentatas, à se autem primo inventas, pertractat,
referente Pererio in C.I. Gen. Constans est & infallibilis in ipso Johan-
neo contextu Veritatis lux; Constans unanimisq; Ecclesia Catholicæ,
verborum à nuperis Satanae satellitibus perverforum, interpretatio;
quæ cum veritate triumphante, ut DEI verbum, manebit in æternum.
Quod i specie Orosium attinet & Calvinum, totus contextus adhibi-
tus docet id, quod illi in solâ voce ponebant. Cyrilli & Origenis
mentem dudum exposcit Ecclesia. Calvinum cum Bezà contentio, non
est talis ex qua fieri possit universalis veritatis oppressio &c.

S.VIII. In specie contra veritatem D. Johannis Apostolicam, expediunt infaustos hos hæreseos suæ arietes. Objiciendo (I.) vocem *ἐν ἀρχῇ*, æquipollere illi, *ἀπ' ἀρχῆς*, qua tamen non nisi tempus suscepti officii publici Salvatoris, inferatur, conf. Joh. XV. 27. I. Joh. I. v. I. C. II. 7. 24 Resp. (a) in genere, absurdissimam esse interpretationem illam, quæ verba: In principio erat Verbum, sic explicat: *In principio ministerii publici Christus jam tum existebat*; sive Christus publice prædicare aut pati non poterat antequam esset. Quis unquam tam existit insanus qui vel de eo dubitaverit, eum qui agere velit, esse debere: vel Johanni divino amanuensi, Imo ipsi Spiritus S. tantas nugas imputaverit, in ipso sacri voluminis exordio, majestatico divini sermonis caractere adornato. Non sanè id sublime adeo, utile, aut necessarium erat, in quo astruendo & inculcando tam operosè & accuratè Apostolus occuparetur. Instat Enjed. sectatum esse in hoc Johannem Ebræi sermonis Veneres. At quæ elegantia, si principium absolutè positum pro initio doctrinæ sumatur? quæ consequentiæ, Ebræus fuit, Ergo Græcè loquens proprietatem Ebræam sectando, impropriissimè loqui voluit, &c: Præterea contradicit hæc Sociniana hypothesis: In principio (Evangelii) erat (publicè inauguratus & discipulis stipatus) Christus *ΝΥΘ*. Illi quam etiam tuentur. Et verbum erat apud Deum h. e. soli DEO notum. Imò planè falsa est quia de tali hinc principio agitur, quod absolutè tale, & primum est, quod DEO vero & essentiali competit, quod creatoris ad creaturam rationem ponit, idq; in quo mundus & omne finitum factum est. Resp. (β) quod loca pro sententiâ adversâ conferendâ attinet, habendum partim; Nos non è solis vocibus *ἐν ἀρχῇ* sed ex integrâ propositione absolutè positâ, ex Intentione Johannis Evangelistæ propriâ, ex consequentium in eodem argumento evidentiâ ratiocinari. Partim, voces *ἐν ἀρχῇ* sumi vel definite, id quod antecedentia & consequentia, argumenti scopus, adjectæ determinationes, historiæ series, evidenter docere debent; vel indefinite cum ad principium absolutè primum sese referendo æternitatem sub inferunt conf. 2. Theff. II. 13. Eph. I. 4. 2. Tim. I. 9. Ps. LV. 10. Partim loca quæ objiciuntur, quæq; objici possunt vel definite sumi, vel indefinite; quomodo à quibusdam determinatè supponentibus, ad omnia; nulla sit legitima consequentiâ

Objic. (II.) 1. Joh. I. 1. ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς. Resp. Verba illa præcisè de initio præconii Christi accipienda esse, nulla ratio cogit, quin consequentia non leuem cum Joh. I. i. harmoniam subindicant verbis illis v. 2. annunciamus vobis τὴν ζωὴν αἰώνιον ἣν ἦν πρὸς πατέρα. h. e. verbum vitæ, Filium DEI esse vitam æternam, & ab æterno apud Patrem fuisse etsi in tempore demum in carne manifestatus 1. Tim. III. 15. 1. Joh. 5. 20. Objic. (III.) apparentem parallelismum loci nostri cum illo Joh. VIII. 25. τὴν ἀρχὴν &c. Resp. Non pauci cum Flacio in Clavi volunt eam asseverationem seriam esse q. d. prorsus ille ipse sum, qui vobis cum loquor, qualem Idiotismum ex Demosthene & Sophocle probare volunt, quemq; Heinsius è Chaldaismo confirmat. Verum inter plures alios, & Hugo Grotius annot. in lib. Evang. p. 928. Ὁ Θεὸς λέγει. *primum hoc sum, quod & dico vobis: hoc ipsum, quod me hoc ipso tempore esse dixi, id est, Lux mundi.* Similiter & Erasmi annot. in hunc locum. Quomocumq; tamen exponatur, parallelismum cum loco nostro non efficit. Objic. IV. si concedatur principium hoc loco significare æternitatem; id saltem colligi posse Christum fuisse in æternitate. Cum verò æternitas omne tempus præteritum, præsens, & futurum complectatur, futile fore argumentum, si ex eo, quod Christus fuerit in æternitate concludatur, eum fuisse ab omni æternitate, cum plane differant ab omni æternitate & in æternitate extitisse. Resp. Antea expositum fuit quomodo non ex solâ voce principii, argumentemur; sed ita λόγον in æternitate veneremur, ut Deum, ut creatorem verum, hoc est ab omni æternitate existentem. Neq; ens ullum simplex duplicem Intrinsicam durationis speciem admittit: Quod intrinsicè in æternitate esse conceditur, hoc ab æterno fuisse negari nequit. Coexistere quidem dicitur æternitas omnibus temporum differentiis, sed non complecti easdem: Illud est saltem denominationis extrinsecæ, hoc intrinsicæ, aut certe complectitur easdem saltim eminenter, non verò formaliter. Nec ulla quæ in tempore sunt & existunt, ullatenus in æternitate existere dici possunt. Objic. V. Cælum & terram fuisse in principio mundi & tamen habuisse principium, si quidem creata sint in principio. Resp. illa non in initio absolute dicto, jam tunc erant, id quod de Filio Dei sacra pagina edisserit, sed fiebant in tempore comproducto: Neq; nos è

voce

voce principii æternitatem formaliter & directè probamus, sed ex totâ propositione, consequenter & materialiter illam asserimus. Is enim qui jam tum, antea scilicet, erat quam tempus fieret, vel quicquid ævum vel tempus complectitur, is utiq; essentialiter infinitus & æternus habendus est.

ET VERBUM ERAT APUD DEUM.

§.IX. Hic secundus est Johannis Theologi Aphorismus Apostolicus occurrens cogitationibus humanis: tum carnalibus, de Christi Servatoris conversatione visibili in terris, quâ cum æternitas consistere non posse videtur: tum curiosis, ubi fuerit, quid egerit ille λόγος, cum nisi Deus esset: tum hæreticis, quasi λόγος, ille idem qua personam esset, cum eo cujus λόγος est, scilicet Pater æternus. Scopus sententiæ, cum uberiori τῆς λόγου expositione, superius traditus, breviores nos hic esse sinet Prædicatum secundum ergo de λόγος est ERAT APUD DEUM. Notamus circa voces (1.) vocis θεός addi articulum, non quidem ut Cajetanus cum quibusdam Patribus quos Socinus contra Bellarminum & Wiekum adducit, deceptus putavit, præcisè ideo quod θεός cum articulo verum Deum noter, sine eo nuncupativum duntaxat. Ejus regulæ particularitatem ipse Socinus agnovit & sequens immediatè propositio, καὶ θεός ἦν ὁ λόγος, ubi θεός veri Dei significativum sine articulo ponitur, persuadet, conf. Act. VII. 43. C. XIV. II. 2. Cor. IV. 4. in quibus locis vox θεός cum articulo λεγομένοις θεοῖς; Matth. autem IV. 4. C. V. 9. CVI. 24. Joh I. 6. 12. 13. 18. I. Thess. I. 9. sine articulo vero Deo competit. Emphasin hic tamen addit voci θεός, tanquam personaliter in sensu supponenti. Not. (2.) τὸ πρὸς interpretari Cajetanum, sequentem in hoc Marium Victorinum L. I. de Trin per AD; hoc sensu, Et verbum erat ad DEUM, sive, Esse verbi habebat relationem realem ad τὸν θεόν, à quo differat, ut Pater à Filio. Quo nomine malè audit ab Alphonso Salmerone Tom. II. f. 27. qui profecto inquit, hic sensus novus est, & levius, ac sine doctoribus

floribus assertus deinde falsus. Nam esse verbi, propriè non est esse ad DEUM, sed tantum ad dicentem, sic ut esse Patris ad Filium &c. At præter rem, insolentem se gerit Jesuita, nixus in solo scholastico illo pseudopincipio, In divinis solam personam non essentiam generare. Cum ipsæ sacræ literæ testentur, Filium esse perfectam imaginem, fulgorem, charactera, totius perfectæq; hypostaseos Patris, in quo nec essentia à personalitate differit, nec integer sine essentiâ divinâ Pater est habens λόγος ab æterno ineffabiliter genitum Hebr. I. 3. Col. I. 5. Quia tamen Cajetanus expositionem suam, magis ad scholasticas subtilitates & phrasas, quam Græcæ lingvæ indolem accommodat, retinemus expositionem Ἐμοῦ per A P U D, quæ commodissime obtinet etiam Matt XIII. 56. Marc. XIV. 49. Luc. IX. 41.


§. X. Expediendum verò imprimis est, quæ Divi Johannis fuerit per verba hæc quæ sita intentio. Prima quidem illa occurrit, quod Verbi hujus ante creationem existentis veram insinuare laboraverit substantiam. Non enim accidens, aut proprium, apud subjectum sed in subjecto esse; persona vero apud personam existere rectè dicitur. Chrysostomus ait. *Licet Verbum sit in Patre, non tamen ut verbum quod profertur, aut quod intra hominem est, accidens, sed ut subsistens perse, (2.) distinctam à Patre personalitatem. Qui enim apud aliquem est, is hypostasi ab eo, apud quem est, distinctus sit, necesse est. Nemo propriè apud semetipsum, sed apud alium, non quidem substantiâ tamen substantiâ distinctum esse dicitur. (3.) Ut Verbi cum Patre consubstantialitatem sub inferret, Ideò enim Johannes (verba sunt Chemnitii in Harm. f. 39.) hic non præpositione Ἐμοῦ sed Ἐμοῦ utitur. Sicut Græci dicuntur Ἐμοῦ ἰν ἑαυτοῖς, quæ ejusdem sunt generis & familiæ, Syrus habet præpositionem Ἐμοῦ Ad, quæ à conjunctione nomen habet. Et sententia est, quæ alibi explicatur: Ego in Patre & Pater in me Joh. XIV. 10. quia unum sumus, Joh. X. 30. sumpta autem est phrasîs hæc ex C. VIII. Prov. ubi v. 30. Sapientia dicitur fuisse apud DEUM, vel coram DEO, sicut Ἐμοῦ usurpatur Joh. V. 45. Ego non accusabo, vos apud Patrem Et explicatur phrasîs Joh. XVII. 5. Glorifica me eâ gloriâ quam habui apud TE priusquam mundus fieret.*

F

§. IX. Atqui

§. XI. Atqui hæc vera est, cumq; scopo Johanneo convenientis-
sima expositio, à quâ suâ (quam aliâs sollicitè sequitur) phantasiâ Jo-
nes Maldonatus abductus, statuit per verba hæc *ἔκειτόν τὸν Θεὸν*,
sessionem Filii ad dextram Patris, & ex eâ æqualitatem Patris & Filii
indicari, eamq; hujus loci interpretationem, tanquam præ cæteris
laudat. *Voluisse enim, ait, Evangelistam declarare, ubi fuisset infinitis
seculis Verbum, quod semper fuisse dixerat, ideoq; dicere, fuisse ἔκειτόν τὸν
Θεὸν, i. e. juxta Deum sedisse ad dextram DEI, quod est DEO æqualem esse.*
*Hunc sensum esse genuinum & verum (addit idem Jesuita) ex scripturâ colligi-
go, quæ cum docet, Christum post resurrectionem suam in cælum ascen-
disse, minime dubium est, quin significare velit, eò unde venerat, ubi
priuserat rediisse. Dicit autem sedisse ad dextram DEI i. e. Patris, Marc.
XVI. 19. Act. II. 34. c. V. 31. c. VII. 55. Rom. VIII. 34. & c. prius ergo erat ad dex-
tram DEI, & cum Johannes his verbis dicere voluerit, ubi erat, utiq; di-
cere voluit, eum ad dextram Dei fuisse. Hæc sententia est Maldonati,
quam ex doctrinâ Magni Chemnitii Lib. de duabus naturis c. XXVIII,
conficere placet. Veteres dextram Dei in triplici significatione acci-
piunt, I. Basilii intelligit dextram DEI, de consubstantialitate, & cõ-
æqualitate Patris & Filii. Cum enim hæretici, Filium Patre, secundum
Divinitatem, minorem & inferiorem, inde vellent ostendere, quod
Filius scribatur Patri ad dextram sedere: Basiliius contra disputat, si de
divinitate hoc intelligatur, phrasi illâ non significari inferiorem digni-
tatem sed habitum æqualem cum Patre. Atq; in hanc sententiam qui-
dam dicunt, Christum esse in dextrâ DEI secundum utramq; naturam,
quia sc. Deitas ejus semper fuit in gloriâ Patris excellior cæ-
lis & c. Sed sicut scriptura sessionem ad dextram describit, ad as-
sumptam humanam naturam propriè illa pertinet. secundum divini-
tatem vero juxta scripturam, Filius DEI magis propriè ipsa dextra
DEI dicitur, propter consubstantialitatem & æqualitatem. Nec ita
in tempore post resurrectionem, collocatus est ad dextram Dei ut se-
cundum Divinitatem esset æqualis & consubstantialis Patri, sed ab
æterno fuit, ipsa DEI dextra. II. Augustinus aliquando dextram
DEI interpretatus de divinâ felicitate Psalm. XVI. II. III. Veteres
dextram DEI ad quam Christus secundum humanam naturam exalta-*

rus dicitur, propriè de gloriâ, Majestate, Virtute potentiâ dominatione, & administratione divinâ interpretantur.

§.XII. Totum vero exspoliant & pervertunt hostes DEI & Christi ejus, Sociniani, sensum verborum tantorum, talem eum mentientes: Verbum erat apud Deum: hoc est, *Jesus*, quatenus Dei verbum ab officio sic vocatus, antequam Baptistæ prædicatione manifestaretur, soli DEO notus erat. Quandoquidem hanc expositionem, verba absolute posita & intelligenda, ad solam cognitionem DEI falso arctantem (I.) Textus omnino ignorat, quin simplicem Verbi ab æterno à Patre, geniti apud Patrem præsentiam, & quidem talem, qualis erat existentia in principio, ante omnes creaturas, qualis est ipsius Dei, (sic enim *167*  erat apud Patrem, ut esset ipse Deus) qualis deniq; est Creatoris omnes creaturas à se dependentes existentia, anticipantis conditio insinuat. Et hoc est mysterium illud quod Johannes seriâ repetitione v.2. commendare voluit. Quid autem in eo singulare, quod tantoperè fuerit inculcandum, Christum antequam hominibus patefiant? Act. XV. 18. (II.) scopus ille planè non est naturalis, nulli legenti evidentia sua se commendans, totus figuratus, quem nunquam sine evidenti necessitate vel ex ipso textu, vel locis parallelis immediate fluente admittendum esse credimus. Imò planè falsum est quod in principio prædicationis Evangelii nemini notus fuerit Filius DEI. Notissimus matri, Josepho, Zachariæ, Hannæ, Magis, &c. Neq; ulla est ulterior consequentia illa; Christus non fuit notus Johanni (necrit eam Enjedinus) E. soli DEO. Licet enim primo non qua faciem, optimè tamen Christus notus erat Johanni famâ, & oraculo divino. Tandem (III.) scopus Evangelicæ historiæ, supra assertus, & Ecclesiæ Catholicæ, etiam ejus quæ Arrianum bellum spectavit oppugnavitq; interpretatio falsitatis & hæreseos, sensum illum arguunt impudentissimæ.



Præstantiss. & Eximio

DN. DISPUTANTI.

Verba nefanda Satan paradiso dixit, & inde
Præcipatus homo tristia Verba sonat.
Verbo nempe Dei non credidit, ausus adire
Colloquium Satanæ deliquiumq; boni.
Æternum verbum melioribus undiq; verbis
Solatur miserum rursus in orbe genus.
Et sic homo, quo verbo loqui nostratia possit,
Sed rebus cœli verba referta tamen.
Dignum ergo VERBUM, quod nos meditemur,
& ille

Dignus honore suo, qui mediatur idem.
Id studiis cœlo sacris meditaris, AMICE!
Dicamus, quod res est, bona verba tibi

*scrib amoris memosinon
faustissima precatu*

Joh. Georg. Dorscheus, D.

Acad. Rost. p.r. Rector,



Clli dudum Pietas, doctrina, modestia, virtus
Præclaras juvenum conciliavit opes
Pro **VERBO** æterno cum nunc sacra Verba do-
cebit

Successus faustos afflet Jova precor.

PRÆSES.



Quam bene sis usus verno illo flore juventa
LEIKI, quæ scandis pulpita docta docent
Hei! dolo quod non tecum mihi ducere rixas
(Jucundas rixas & sine cade) licet.
Perge ita doctorum magis inclarescere turba
Lauratum studium non moritura manet.

Literatissimo Dno **LEIKIO** Amico suo lon-
ge suavissimo **DE ÆTERNO VERBO**
disputaturo cum voto omnigenæ Prospe-
ritatis ita abiturians applaudebat

Christianus Kortholt,
Holfatus



Urge opus hoc, studiumq; sacrum feliciter urge,
Urge id alacriter, acriter; ac deprome Talentum
Fœnere cûm magno, cum lucro & divite fruge,
Sic te magna **VIRIS** Animi solertia Doctis
Reddet honoratum, te reddet & undique notum
Sic & Fama tuas memorabit posthuma Laudes.

Ita Commilitoni in castris Musarum Megapolensium
sacris, Amico dilecto, defæcato Calamo
& Pectore applaudir

J. Moltkenius Hafniensis Phil. Stud.


Cato

CArmina dum poseis Leikeni, carmina pango,
Qui curam veræ religionis agis.
Carmina dico, cano Juvenis doctissime fausta,
Dum dignas laudes, candida vota meres;
Sedulus ætherei cum tractas dogmata verbi
Tu laudem docti semper habebis orans.
Ast laudo inceptum, Fautori commoda narro
Qui tibi jamq; brevi junctus amore fui.
Sis memor oro, mei, contra memor ipse manebo
Sit tibi longus honor? sit tibi multa dies?

Sic Præst. & Doctiff. Domino
Resp. appl.

Arnoldus Duncker,
Quak. Westph.





Cui dudum Pietas, doctrina, modesti
Præclaras juvenum conciliavit
Pro VERBO æterno cum nunc sacra
cebit

Successus faustos afflat Jova precor.



Quam benè sis usus verno illo flore juveni
LEIKI, quæ scandis pulpita docta do

Hei! dôleo quod non tecum mihi ducere rix
(Jucundas rixas, & sine cade) licet.

Perge ita doctorum magis inclarescere turb
Lauratum studium non moritur a ma

Literatissimo Dno LEIKI
ge suavissimo DE A
disputaturo cum voto
ritatis ita abiturians apl


Christian



Urge opus hoc, studiumq; sacrum f
Urge id alacriter, acriter; ac depre
Foenerè cùm magno, cum lucro & div
Sic te magna VIRIS Animi solertia Do
Reddet honoratum, te reddet & undiqu
Sic & Fama tuas memorabit posthuma

Ita Commilitoni in castris Musar
sacris, Amico dilecto, 'de
& Pectore

J. Moltkenius Hafnie



the scale towards document